

possunt: vel dari jubebit: nec dubitabit filium quoque patri<sup>5</sup> curatorem dari.

3. ULPIANUS, lib. 31, ad Sabinum.

Dum deliberant<sup>6</sup> heredes instituti adire, bonis a praeore curator datur.

4. Idem, lib. 38, ad Sabinum.

Furiosae matris curatio ad filium<sup>7</sup> pertinet: pietas enim parentibus, etsi inaequalis est eorum potestas, aequa debetur.

5. GAIVS, lib. 9, ad Edictum provinciale.

Curator ex SC. constituitur, cum clara persona (veluti senatoris vel uxoris ejus) in ea causa sit, ut ejus bona venire debeant: nam, ut honestius ex bonis ejus, quantum potest, creditoribus solveretur, curator constituitur, distrahendorum bonorum gratia, vel a praetore, vel in provinciis a praeside.

6. ULPIANUS, lib. 1, de omnibus Tribunalibus.

Observare praetorem oportebit, ne cui temere citra causae cognitionem plenissimum curatorem det: quoniam plerique vel furorem, vel dementiae fingunt<sup>8</sup>, quo magis curatore accepto onera<sup>9</sup> civilia detrectent.

7. JULIANUS, lib. 21 Digestorum.

Consilio et opera curatoris *trieri* debet non solum patrimonium, sed et corpus ac salus furiosi. — § 1. Curator dementi datus, decreto interposito, uti satisfacere, non cavet<sup>10</sup>, et tamen quasdam res de bonis ejus legitimo modo alienavit: si heredes dementis easdem res vindicent, quas curator alienavit, et exceptio opponatur, si non curator vendiderit, replicatio dari debet, aut si satisfactione interposita secundum decretum vendiderit: quod si pretio accepto curator creditores furiosi dimisit<sup>11</sup>, replicatio doli tutos possessores praestabit. — § 2. Cum dementis curatorem, quia satis<sup>12</sup> non dederat, et res male administraret, proconsul removerit a bonis, aliumque loco ejus substituerit curatorem; et hic posterior, cum nec ipse satisfacere, egerit cum remolo negotiorum gestorum, posteaque heredes dementis cum eodem negotiorum gestorum agant, et is exceptione rei judicate inter se et curatorem utatur: heredibus replicatio danda erit, aut si is, qui egit, satisfacere. Sed an replicatio curatori profutura esset, iudex aestimabit: nam si curator sequens pecuniam, quam ex condemnatione consecutus fuerat, in rem furiosi vertisset, doli replicatio obstat. — § 3. Quaesitum est, an alteri ex curatoribus furiosi recte solvetur, vel an unus rem furiosi alienare possit? Respondi, recte solvi<sup>13</sup>: eum quoque, qui ab altero ex curatoribus fundum furiosi legitime mercetur, usucapturum: quia solutio, venditio, traditio, facti magis, quam juris sunt: ideoque sufficit unius<sup>14</sup> ex curatoribus persona: quia intelligitur alter consentire: denique si praesens sit, et vetet solvi, vetet venire, vel tradi, neque debitor liberabitur, neque emptor usucipiet.

8. ULPIANUS, lib. 6, de officio Proconsulis.

Bonorum ventris<sup>15</sup> nomine curatorem dari oportet: eumque, rem salvam fore, viri boni arbitratu satisfacere proconsul jubet: sed hoc si non ex inquisitione detur: nam si<sup>16</sup> ex inquisitione, cessat satisfactio.

9. NERATIUS, lib. 1 Membranarum.

Cujus bonis distrahendis curatores facere senatus permisit, ejus bona creditoribus vendere non permisit: quamvis creditores post id beneficium bona vendere mallent: sicut enim integra re potestas ipsorum est, utrum velint eligendi, ita cum alterum elegerint, altero abstinere debent. Multoque magis id servari aequum est, [si etiam] factus est curator, per quem bona distraherentur, quamvis nondum explicato eo negotio decesserit: nam et tunc ex integro alius curator faciendus est, neque heres prioris curatoris onerandus: cum accidere possit, ut negotio, vel propter

5. L. 1, in fin. supr.; L. 4, infr. h. t.; L. 12, § 1, supr. de tut. et curat. dat. — 6. L. 8, infr. quib. ex caus. in possess. — 7. L. 1, in fin. supr. h. t. — 8. Fac. L. 15, in fin.; L. 14, supr. de offic. praesid. — 9. Fac. L. 2, § 2, in fin. supr. de his, qui notantur infam. — 10. § 2, infr. h. t. — 11. L. 15, § 1, supr. de solut. — 12. § 1, supr. h. t.; L. 1, § 1, L. 3, L. ult. C. de tut. vel curat. qui satis non dedit. — 13. L. 14, § 1, infr. de solut. — 14. L. ult. C. de vactor. praestanda. — 15. L. 20, in pr. supr. de tut. et curat. dat. § L. 24, in pr. infr. de reb. aucto. udic. possid. — 16. L. 15, in fin. supr. de tut. et curat. dat., Inst. de satisfact. tut. in pr. —

sexus vel propter aetatis infirmitatem, vel propter dignitatem majorem minoremve quam in priore [a] curatore spectata erat, habilis non sit; possint etiam plures heredes ei existere; neque [aut] per omnes id negotium administrare expediat, aut quicquam dici possit, cur unus aliquis ex his potissimum onerandus sit.

10. ULPIANUS, lib. 16, ad Edictum.

Julianus scribit, eos quibus per praetorem bonis interdictum est, nihil<sup>17</sup> transferre posse ad aliquem, quia in bonis non habeant, cum eis deminutio<sup>18</sup> sit interdicta. — § 1. Curator furiosi rem quidem suam quasi furiosi tradere poterit, et dominium transferre: rem vero furiosi si quasi suam tradat, dicendum ut non transferat dominium: quia non furiosi negotium gerens tradidit.

11. PAULUS, lib. 7, ad Plautium.

Pignus a curatore furiosi datum valet, si utilitate<sup>19</sup> furiosi exigente id fecit.

12. MARCELLUS, lib. 1 Digestorum.

Ab adgnato (vel alio) curatore furiosi, rem furiosi dedicari non posse, constat: adgnato enim furiosi non usquequaque competit rerum ejus alienatio: sed quatenus negotiorum exigit administratio.

13. GAIVS, lib. 3, ad Edictum provinciale.

Saepe ad alium e lege 12 tabularum curatio furiosi aut prodigi pertinet, alii praetor administrationem dat, scilicet cum ille legitimus inhabilis<sup>20</sup> ad eam rem videatur.

14. PAPINIUS, lib. 3 Responsorum.

Virum uxori<sup>21</sup> mente captae curatorem dari non oportet.

15. PAULUS, lib. 3 Sententiarum.

Et mulieri, quae luxuriose vivit, bonis interdicti potest. — § 1. In bonis curatoris privilegium<sup>22</sup> furiosi furiosae servatur. Prodigus, et omnes omnino etiamsi in edicto non sit eorum mentio, in bonis curatoris decreto privilegium consequuntur.

16. TRYPHONINUS, lib. 13 Disputationum.

Si furioso puberi, quamquam<sup>23</sup> majori annorum vigintiquinque, curatorem pater testamento dederit, eum praetor dare debet<sup>24</sup>, secutus patris voluntatem: manet enim ea datio curatoris apud praetorem, ut rescripto D. Marci continetur. — § 1. His consequens est, ut, [et] si prodigo curatorem dederit pater, voluntatem ejus sequi debeat praetor, eumque dare curatorem. Sed utrum omnimodo, an ita, si futurum esset, ut, nisi pater aliquid testamento cavisset, praetor ei bonis interdictum esset? et maxime si *filios habeat* iste prodigus? — § 2. Potuit tamen pater et alia providere nepotibus suis, si eos jussisset heredes esse, et exheredasset filium, eique quod sufficeret alimentorum nomine ab eis certum legasset, addita causa necessitateque iudicii sui: aut si non habuit in potestate nepotes, quoniam emancipato jam filio nati fuissent, sub conditione eos heredes instituere, ut emanciparentur a patre prodigo. — § 3. Sed quid, si nec ad hoc consensus esset prodigus? [sed] per omnia iudicium testatoris sequendum est: ne, quem pater vero *consilio* prodigum credit, eum magistratus, propter aliquod forte suum vitium, idoneum putaverit.

17. GAIVS, lib. 1, de Manumissionibus.

Curator furiosi nullo modo libertatem<sup>25</sup> praestare potest: quod ea res ex administratione non est: nam in tradendo ita res furiosi alienat, si [id] ad administrationem negotiorum pertineat: et ideo si donandi causa alienet, [neque] traditio quicquam valebit; nisi ex magna utilitate furiosi hoc cognitione iudicis faciat.

17. L. 6, infr. de verb. oblig. — 18. L. 26, supr. de contrah. empt. — 19. L. 12, § 1, supr. de admin. et peric. tut. — 20. L. 10, in fin. supr. de legit. tut. — 21. L. 2, C. qui dare tut., § 19, Inst. de excoisat.; *adde* L. 1, § ult., supr. de excoisat. — 22. L. ult. supr. de tutel. et rat. — 23. L. 19, § 1; L. 20, L. 21, L. 22, in pr. infr. de reb. aucto. udic. possid. — 24. § 3, Inst. de curat. — 25. L. 1, in fin. supr. de confirm. tut.; § 1, Inst. de curat. — 26. L. 15, infr. de manumiss.

# DIGESTORUM SEU PANDECTARUM PARS QUINTA.

## LIBER VICESIMUS OCTAVUS.

### TIT. I.

#### QUI TESTAMENTA FACERE POSSUNT, ET QUEMADMODUM TESTAMENTA FIANT.

1. MODESTINUS, [lib. 2 Pandectarum.]

TESTAMENTUM, est voluntatis nostrae justa sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.

2. LABEO, [lib. 1 posteriorum Javoleno Epitomatorum.]

In eo, qui testatur, ejus temporis, quo testamentum facit, integritas<sup>1</sup> mentis<sup>2</sup>, non corporis sanitas exigenda est.

3. PAPINIUS, [lib. 14 Questionum.]

Testamenti factio non privati sed publici juris est.

4. GAIVS, [lib. 2 Institutionum.]

Si quaeramus, an valeat testamentum, in primis animadvertere debemus, an is, qui fecerit testamentum, habuerit testamenti factionem<sup>3</sup>: deinde si habuerit, requiremus, an secundum regulas juris<sup>4</sup> civilis testatus sit.

5. ULPIANUS, [lib. 6, ad Sabinum.]

[A] qua aetate testamentum vel masculi vel feminae facere possunt, videamus? Verius est, in masculis<sup>5</sup> quidem quatuordecimum annum spectandum, in feminis vero duodecimum completum. Utrum autem excessisse debeat quis quartum decimum annum, ut testamentum facere possit: an sufficit complere? Propono aliquem kalendis Januariis natum, testamentum ipso natali suo fecisse quatuordecimo anno: an valeat testamentum? Dico valere. Plus arbitrator, etiam si pridie calendarum fecerit post sextam horam noctis, valere testamentum: jam enim complere videtur annum quatuordecimum, ut Marcianus videtur.

6. GAIVS, [lib. 17, ad Edictum provinciale.]

Qui<sup>6</sup> in potestate parentis est, testamenti faciendi jus non habet: adeo ut quamvis pater ei permittat, nihilo magis tamen jure testari possit. — § 1. Surdus<sup>7</sup>, mutus, testamentum facere non possunt: sed si quis [post] testamentum factum valetudine aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse coeperit, ratum nihilominus permanet testamentum.

7. EMILIUS MACER, lib. 1, ad legem vicensimam Hereditatum.

Si mutus, aut surdus, ut liceret sibi testamentum facere, a principe impetraverit: valet testamentum.

8. GAIVS, lib. 17, ad Edictum provinciale.

Ejus, qui apud<sup>8</sup> hostes est, testamentum, quod ibi fecit, non valet<sup>9</sup>, quamvis redierit. — § 1. Si cui aqua et<sup>10</sup> igni interdictum sit, ejus nec illud testamentum valet, quod ante fecit, nec id, quod postea [fecerit]: bona quoque, quae tunc habuit cum damnaretur, publicantur<sup>11</sup>, aut, si non videantur lucrosa, creditoribus conceduntur. — § 2. In insulam deportati<sup>12</sup>, in eadem causa sunt. — § 3. Sed relegati in insulam, et qui-

Tr. I. — 1. Lib. 6, C. 22, et 2, Inst. 12. — 2. Lib. 6, C. 25, et 2, Inst. 10. — 3. L. 3, in pr. C. h. t. — 4. Fac. L. 17, infr. eod. — 5. L. 19, infr. eod. — 6. L. 1, in fin. supr. de hered. petit. — 7. L. 19, infr. h. t. § 1, Inst. quib. non est permis. facere testam.; L. 4, C. h. t.; L. 1, § 3, infr. de honor. possess. secund. tab.; L. 2, C. quando provocare. — 8. Inst. quib. non est permis. facere testam. in pr. — 9. § 3, Inst. d. t. — 10. § ult. Inst. d. t.; L. 10, infr. de testam. milit. — 11. *Abrogat.* N. Leon. 40. — 12. L. 1, § 2, infr. de legat. 3. — 13. *Mutat.* N. 134, e. ult. — 14. d. L. 1, § 2, et 4, infr. de legat. 3. — 15. L. 7, § 3, infr. de interdict. et relegat. — 16. L. 6, § 6, infr. de injust. rupt. et irrit. facto testam.; L. 25, § 5, infr. de adq.

bus terra italica et sua provincia interdicuntur, testamenti faciendi jus retinent<sup>13</sup>. — § 4. Hi vero, qui ad ferrum<sup>14</sup>, aut ad bestias, aut in metallum damnantur<sup>15</sup>, libertatem perdunt, bonaque eorum publicantur: unde apparet, amittere eos testamenti factionem.

9. ULPIANUS, [lib. 48, ad Edictum.]

Si quis post accusationem in custodia fuerit defunctus<sup>16</sup> indemnatus, testamentum ejus valet.

10. PAULUS, [lib. 3 Sententiarum.]

Qui manus amisit, testamentum facere potest, quamvis scribere<sup>17</sup> non possit.

11. ULPIANUS, [lib. 10, ad Sabinum.]

Obsides testari non possunt, nisi eis permittatur.

12. JULIANUS, [lib. 42 Digestorum.]

Lege Cornelia<sup>18</sup> testamenta eorum, qui in hostium potestate decesserint, perinde confirmantur, ac si hi, qui ea fecissent, in hostium potestate non pervenissent: et hereditas ex his eodem modo ad unumquemque pertinet. Quare servus heres scriptus ab eo, qui in hostium potestate decesserit, liber et heres erit, seu<sup>19</sup> velit, seu nolit; licet minus proprie necessarius heres dicatur: nam et filius ejus, qui in hostium potestate decessit, invitus<sup>20</sup> hereditati obligatur; quamvis suus heres dici non possit<sup>21</sup>, qui in potestate morientis non fuit.

13. MARCIANUS, [lib. 4 Institutionum.]

Qui a *latronibus*<sup>22</sup> capti sunt, cum liberi manent, possunt facere testamentum. — § 1. Item qui apud externos *legatione* funguntur, possunt facere testamentum. — § 2. Si quis in capitali crimine damnatus appellaverit, et medio<sup>23</sup> tempore pendente appellatione fecerit testamentum, et ita decesserit: valet ejus testamentum.

14. PAULUS, [lib. 2 Regularum.]

Qui [in] testamento domini manumissus est, si ignorat dominum decessisse, aditumque ejus esse hereditatem, testamentum facere non potest<sup>24</sup>, licet jam paterfamilias et sui juris est: nam qui *incertus*<sup>25</sup> de statu suo est, certam legem testamento dicere non potest.

15. ULPIANUS, [lib. 12, ad Edictum.]

De statu<sup>26</sup> suo dubitantes, vel errantes, testamentum facere non possunt, ut divus Pius rescriptis.

16. POMONIUS, [lib. singular. Regularum.]

Filiusfamilias, et servus alienus, et posthumus, et surdus, testamenti factionem habere dicuntur: licet enim testamentum facere non possunt, atamen ex testamento [vel] sibi vel aliis acquirere possunt. — § 1. Marcellus notat: Furiosus quoque testamenti factionem habet, licet testamentum facere non potest<sup>27</sup>. Ideo autem habet testamenti factionem, quia potest<sup>28</sup> sibi acquirere legatum vel fideicommissum: nam etiam compositibus mentis personales actiones etiam ignorantibus acquiruntur

vel omitt. hered. — 17. *Mutat.* N. 22, c. 8. — 18. *Adde* L. 15, in fin. infr. h. t. — 19. *Fac.* L. 29, C. de testam. — 20. L. 28, infr. de vulg. et pupill. substit. — 21. § 1, Inst. de hered. qual. et differ. — 22. § 2, in fin. Inst. d. t. — 23. d. § 2. — 24. L. 1, in pr. infr. de legat. 3; L. 24, infr. de captiv. et postum. revers. — 25. *Adde* L. 9, supr. h. t.; L. 6, § 5, infr. de injust. rupt. irrit. facto testam. — 26. *Abrog.* N. Leon. 57. — 27. L. 15, infr. h. t.; L. 1, in pr. infr. de legat. 3. — 28. L. 14, supr. h. t. — 29. L. 9, C. eod.; § 1, Inst. quib. non est permis. facere testam. — 30. L. 24, in pr. infr. de oblig. et act.

17. PAULUS, [lib. 3 Sententiarum.]

In adversa corporis valetudine mente captus<sup>51</sup>, eo tempore testamentum facere non potest.

18. ULPIANUS, [lib. 1, ad Sabinum.]

Is, cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non potest<sup>52</sup>; et si fecerit, ipso jure non valet. Quod tamen interdictione vetustius habuit testamentum, hoc valebit. Merito ergo nec testis<sup>53</sup> ad testamentum adhiberi poterit, cum neque testamenti factionem habeat. — § 4. Si quis ob carmen famosum damnatur, senatusconsulto expressum est, ut intestabilis<sup>54</sup> sit: ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamentum adhiberi.

19. MODESTINUS, [lib. 5 Pandectarum.]

Si filiusfamilias, aut pupillus, aut servus tabulas testamenti fecerit, signaverit: secundum eas bonorum<sup>55</sup> possessio dari non potest, licet filiusfamilias sui juris, aut pupillus pubes, aut servus, liber factus decesserit: quia nullae sunt tabulae testamenti, quas is fecit, qui testamenti faciendi facultatem non habuerit.

20. ULPIANUS, lib. 1, ad Sabinum.

Qui testamento heres instituitur, in eodem testamento testis<sup>56</sup> esse non potest. Quod in legatario<sup>57</sup> et in eo, qui tutor scriptus est, contra habetur: hi enim testes possunt adhiberi, si aliud eos nihil impediatur, ut puta si impubes<sup>58</sup>, si in potestate<sup>59</sup> sit testatoris. — § 1. Potestatis autem verbum non solum ad liberos, qui sunt in potestate, referendum est, verum etiam ad eum, quem redemit ab hostibus: quamvis placeat, hunc servum non esse, sed vinculo<sup>60</sup> quodam retineri, donec pretium solvat. — § 2. Per contrarium queri potest, an pater ejus, qui de castrensi peculio potest testari, adhiberi ab eo ad testamentum testis possit? Et Marcellus lib. 10 Digestorum scribit, posse: et frater ergo poterit. — § 3. Quae autem in testamento diximus super perhibendis testimoniis eorum, qui in potestate sunt, in omnibus testimoniis accipias, ubi aliquid negotii geritur per quod acquiratur. — § 4. Ne furiosus quidem testis adhiberi potest, cum compos mentis non sit: sed si habet intermissionem, eo tempore adhiberi potest: testamentum quoque, quod ante furorem consummavit, valebit; et bonorum possessio ex eo testamento competit. — § 5. Eum, qui lege repeundarum damnatus est, ad testamentum adhiberi posse<sup>61</sup> existimo: quoniam in iudicium testis esse vetatur. — § 6. Mulier testimonium dicere in testamento<sup>62</sup> quidem non poterit: alias autem posse testem esse mulierem<sup>63</sup>, argumentum est, lex Julia de adulteriis, quae adulteri damnatam testem produci vel dicere testimonium vetat. — § 7. Servus quoque merito ad solennia adhiberi non potest, cum juris civilis communionem non habeat in totum, ne<sup>64</sup> praetoris quidem edicti. — § 8. Et veteres putaverunt, eos, qui propter solennia testamenti adhibentur, durare debere, donec suprema contestatio peragatur. — § 9. Non tamen intelligentiam sermonis exigimus: hoc enim divus Marcus Didio Juliano in teste, qui latine non noverat, rescripsit: nam si vel sensu percipiat quis, cui rei adhibitus sit, sufficere. — § 10. Sed si detenti sint inviti<sup>65</sup> ibi testes, putant non valere testamentum.

21. Idem, lib. 2, ad Sabinum.

Heredes palam<sup>66</sup>, ita ut exaudiri possint, nuncupandi sunt. Licet ergo testanti vel nuncupare heredes, vel scribere: sed, si nuncupat, palam debet. Quid est, palam? non utique in publicum, sed ut exaudiri possit: exaudiri autem non ab omnibus, sed a testibus: et, si plures fuerint testes adhibiti, sufficit sollemnem numerum exaudire. — § 1. Si quid post factum testamentum mutari placuit, omnia ex integro faciendae sunt. Quod vero quis obscurius in testamento vel nuncupat, vel scribit, an post solennia explanare possit, queritur: ut puta Stichum legaverat, cum plures haberet, nec declaravit de quo sentiret; Titio legavit, cum multos Titios amicos haberet; erraverat in<sup>67</sup> nomine, vel praenomine, vel cognomine, cum in corpore non errasset: poteritne postea declarare, de quo senserit? Et puto, posse: nihil enim nunc dat, sed datum significat. Sed et si notam postea adjecerit legato, vel sua voce, vel literis, vel summa, vel nomen legatarii, quod non scripserat, vel nummorum qualitatem, an recte fecerit? Et puto, etiam qualitatem nummorum posse postea addi: nam etsi adjecta non fuisset, utique placeret conjectionem fieri ejus, quod reliquit, vel ex vicinis scripturis, vel ex consuetudine<sup>68</sup>

51. L. 9, C. h. t. — 32, § 2, Inst. quib. non est permis. facere testam.; vide tamen N. Leon. 9. — 33, § 6, Inst. de testam. ordin. — 34, L. 21, in pr. supr. de testib. — 35, L. 1, § 8, infr. de honor. posses. secund. tab. — 36, § 10, Inst. de testam. ordin. — 37, L. 23, C. de testam.; § 11, Inst. de testam. ordin. — 38, § 6, Inst. d. t. — 39, § 9, Inst. d. t. — 40, L. 15, infr. de captiv. et postum. revers. — 41, Obs. L. 15, in pr. supr. de testib. — 42, § 6, Inst. de testam. ordin. — 43, L. 18, supr. de testib. — 44, L. 7, infr. ad leg. Corn. de fals. — 45, L. ult. infr.

patrisfamilias vel regionis. — § 2. In testamentis, in quibus testes rogati<sup>69</sup> adesse debent, ut testamentum fiat, alterius rei causa forte rogatos, ad testandum non esse idoneos placet: quod sic accipiendum est, ut, licet ad aliam rem sint rogati, vel collecti, si tamen ante [testimonium] certiorentur ad testamentum se adhibitos, posse eos testimonium suum recte perhibere. — § 3. Uno contextu<sup>70</sup> actus testari oportet: est autem uno contextu, nullum actum alienum testamento intermiscere, quod (si) aliquid pertinens ad testamentum faciat, testamentum non vitiatur.

22. Idem, [lib. 59, ad Edictum.]

Ad testium numerum<sup>71</sup> simul adhiberi possumus, [ut] ego, et pater, et plures, qui fuimus, in ejusdem potestate. — § 1. Conditionem<sup>72</sup> testium tunc inspicere debemus, cum signarent, non mortis tempore: si igitur tunc cum signarent, tales fuerint, ut adhiberi possint, nihil nocet, si quid postea eis contigerit. — § 2. Si ab ipso testatore anulum acceperit, et signaverit, testamentum valet, quasi alieno signaverim. — § 3. Si signa turbata sint ab ipso testatore, non videtur signatum. — § 4. Si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, verumtamen signaverit, pro eo est, atque si adhibitus non esset: et si (ut multi faciunt) adscripserit se, non tamen signaverit, adhuc idem dicemus. — § 5. Signum autem utrum anululo tantum impressum adhibemus, an vero et si non anululo, verum alio quodam impresso: varie enim homines signant? Et magis est, ut tantum anululo quis possit signare: dum tamen habeat χαρακτήρα, id est, formam, usculptamque signis imaginem. — § 6. Posse et nocte signari testamentum, nulla dubitatio est. — § 7. Signatas tabulas accipi oportet, et si linteae, quo tabulae involute sunt, signa impressa fuerint.

23. Idem, [lib. 4 Disputationum.]

Si testamentum, quod resignaverit testator, iterum signatum fuerit septem testium signis, non erit imperfectum: sed utroque jure valebit, tam civili, quam praetorio.

24. FLORENTINUS, [lib. 10 Institutionum.]

Unum testamentum pluribus<sup>73</sup> exemplis consignare quis potest: idque interdum necessarium est: forte si navigaturus, et secum ferre et relinquere judiciorum suorum testationem velit.

25. JAVOLENUS, lib. 5 posteriorum Labeonis.

Si is, qui testamentum faceret, heredibus primis nuncupatis, prius quam secundos exprimeret heredes, obmutisset, magis<sup>74</sup> cepisse eum testamentum facere, quam fecisse, Varus Digestorum lib. 1 Servium respondisse scripsit: itaque primos heredes ex eo testamento non futuros. Labeo tum hoc verum esse existimat, si constaret, voluisse plures eum, qui testamentum fecisset, heredes pronunciare: ego nec Scirvium puto aliud sensisse.

26. GAIVS, [lib. 22, ad Edictum provinciale.]

Cum lege quis intestabilis<sup>75</sup> jubetur esse: eo pertinet, ne ejus testimonium recipiatur, et eo amplius (ut quidam putant) neve ipsi dicatur testimonium.

27. CELSUS, [lib. 15 Digestorum.]

Domitius Labeo Celso suo salutem. Quaero, an testium numero habendus sit is, qui, cum rogatus est ad testamentum scribendum, idem quoque cum tabulas scripsisset, signaverit? Jubevinius Celsus Labeoni suo salutem. Aut non intelligo, quid sit, de quo me consulueris, aut valide stulta est consultatio tua: plus enim quam ridiculum est dubitare, an aliquis jure testis adhibitus sit, quoniam idem et tabulae testamenti scripserit.

28. MODESTINUS, [lib. 9 Regularum.]

Servus, licet alienus, jussu testatoris testamentum scribere non prohibetur.

29. PAULUS, [lib. 14 Responsorum.]

Ex ea scriptura, quae ad testamentum faciendum parabat, si nullo jure testamentum perfectum esset, nec<sup>76</sup> ea, quae fideicommissorum verba habent, peti posse. — § 1. Ex his verbis, quae scriptura paterfamilias addidit, τὰν τῶν διαθήκην βούλομαι εἶναι κληρῶν ἐπὶ πάσης ἕξουσας. Hoc testamentum volo esse ratum, quacumque ratione poterit; videri eum voluisse, omnimodo valere ea, quae reliquit, etiam si intestatus decessisset.

de jure codicill.; L. 29, C. de testam. — 46, L. 4, C. d. t. — 47, L. 50, in fin. infr. de legat. 1. — 48, L. 21, in pr. C. de testam.; L. ult. in fin. C. de codicill. — 49, L. 21, circa fin. princ.; L. 28, in pr. C. de testam.; § 3, Inst. de testam. ordin. — 50, § 8, Inst. d. t.; L. 17, supr. de testib. — 51, § 7, Inst. de testam. ordin.; L. 1, C. de testam. 2, Feud. 19, in fin. — 52, L. 3, § 6, infr. de honor. posses. secund. tab. — 53, L. 5, § 9, infr. de injur. — 54, L. 11, § 1, infr. de legat. 3; L. 29, C. de fideicommiss.

50. Idem, [lib. 5 Sententiarum.]

Singulos testes, qui in testamento adhibentur, proprio chirographo adnotare convenit, quis et cujus testamentum signaverit.

51. Idem, [lib. 5 Sententiarum.]

Ejus bona, qui se imperatorem facturum heredem esse jactaverat, a fisco occupari non possunt.

TIT. II.

DE LIBERIS<sup>1</sup> ET POSTHUMIS<sup>2</sup> HEREDIBUS INSTITUENDIS, VEL EXHEREDANDIS<sup>3</sup>.

1. ULPIANUS, [lib. 1, ad Sabinum.]

Quid sit nominatim<sup>4</sup> exheredari, videamus: nomen, et praenomen, et cognomen ejus dicendum est: an sufficit vel unum ex his? Et constat sufficere.

2. Idem, [lib. 6 Regularum.]

Nominatim<sup>4</sup> exheredatus filius et ita videtur, Filius meus exheres esto, si nec nomen ejus expressum sit, modo unicus sit: nam si plures sunt filii, benigna interpretatio potius a plerisque respondetur, nullum exheredatum esse.

3. Idem, [lib. 1, ad Sabinum.]

Et si pepererit filium dicere, ex Seia autem natum dixit, recte exheredat: et, si cum convicio<sup>5</sup> dixerit, non nominandus, vel non filius meus, latro, gladiator, magis est, ut recte exheredatus sit: et, si ex adultero<sup>6</sup> natum dixerit. — § 1. Pure<sup>7</sup> autem filium exheredari Julianus putat: qua sententia utimur. — § 2. Filius inter<sup>8</sup> medias quoque heredum institutiones recte exheredatur, et erit a toto gradu summotus, nisi forte ab unius persona eum testator exheredaverit: nam, si hoc fecit, vitiosa erit exhereditatio: quemadmodum si ita eum exheredaverit, quisquis mihi erit filius, exheres esto: nam (ut Julianus scribit) hujusmodi exhereditatio vitiosa est, quoniam post<sup>9</sup> adiam hereditatem voluit eum summotus, quod est impossibile. — § 3. Ante heredis institutionem exheredatus, ab omnibus gradibus summotus est. — § 4. Inter<sup>10</sup> duos [autem] gradus exheredatus, ab utroque remotus est, secundum Scævola<sup>11</sup> sententiam, quam puto veram. — § 5. In eo qui miscuit duos gradus, exheredationem valere, Mauricianus recte putat: veluti, Primus heres esto, ex semisse: si primus heres non erit, secundus [ex semisse] heres esto: tertius ex alio semisse heres esto: filius exheres esto: si tertius heres non erit, quartus heres esto: nam ab utroque gradu summotus est. — § 6. Si ita testatus sit paterfamilias, ut a primo<sup>11</sup> quidem gradu filium praeteriret, a secundo solo exheredaret, Sabinus, et Cassius, et Julianus putant, perempto primo gradu, testamentum ab eo gradu exordium capere, unde filius exheredatus est: quae sententia comprobata est.

4. Idem, [lib. 5, ad Sabinum.]

Placet, omnem masculum posse posthumum heredem scribere, sive jam maritus sit, sive nondum uxorem duxerit: nam et maritus repudiare uxorem potest, et qui non duxit uxorem, postea maritus effici: nam et cum maritus posthumum heredem scribit, non utique is solus posthumus scriptus videtur, qui ex ea, quam habet uxorem, ei natus est, vel [is], qui tunc in utero est, verum is quoque, qui ex quacumque uxore nascatur.

5. JAVOLENUS, lib. 1, ex Cassio.

Ideoque qui posthumum heredem instituit, si post testamentum factum mutavit matrimonium, is institutus videtur, qui ex posteriore matrimonio natus est.

6. ULPIANUS, lib. 5, ad Sabinum.

Sed est quaesitum, an is qui generare facile non possit, posthumum heredem facere possit? Et scribit Cassius, et Javolenus, posse: nam et uxorem ducere<sup>12</sup> et adoptare<sup>13</sup> potest. Spadoneum quoque posse posthumum heredem scribere, et Labeo et Cassius scribunt: quoniam nec aetas nec sterilitas ei rei impedimento est. — § 1. Sed si castratus sit, Julia-

TIT. II. — 1. Lib. 6, C. 28. — 2. Lib. 6, C. 29. — 3. Lib. 2, Inst. 15. — 4. § 1, Inst. de exhered. liberor. ante L. 90, infr. de legat. 3; L. 54, in pr. infr. de condit. et demonstr., L. 24, infr. de manumis. testam. — 5. Vide tamen L. 9, § 8, in fin. infr. de hered. instit. — 6. L. 3, § 9, infr. de Carbon. edicto. — 7. L. 68, in fin. infr. de hered. instit. — 8. L. 18, infr. de honor. posses. contra tab. — 9. L. 5, § 2, infr. de injur. rupt. irrit. facto testam. — 9. L. 68, in fin. infr. de hered. instit. — 10. L. 1, C. de liber. praeterit. — 11. L. 8, in fin. infr. de injur. rupt. irrit. facto testam.: L. 78, infr. de hered. instit.; L. 45, § 2, infr. de vulg. et pupill. instit. — 12. L. 6, in fin. supr. de adul. edict.; L. 59, in fin. supr. de jure dot.; L. 14, in fin. infr.

nus Proculi opinionem secutus, non putat posthumum heredem posse institui: quo jure utimur. — § 2. Hermaphroditus plane, si in eo virilia praevalebunt, posthumum heredem instituere poterit.

7. PAULUS, [lib. 1, ad Sabinum.]

Si filius, qui in potestate<sup>14</sup> est, praeteritus<sup>15</sup> sit, et vivo patre decesserit: testamentum non valet: nec superius rumpitur: et eo jure utimur.

8. POMPONIVS, [lib. 1, ad Sabinum.]

Si primo heredem instituto, filium exheredavero, a secundo autem substituto non exheredavero, et, dum pendet an prior aditurus sit, filius decesserit: secundum sententiam<sup>16</sup>, qua utimur, non erit secundus heres, quasi ab initio inutiliter institutus, cum ab eo filius exheredatus non sit. Quod si in posthumo filio idem acciderit, ut natus vivo patre, a quo exheredatus sit, moriatur: eadem dicenda erunt de substituto: quoniam, cum est natus filius, loco ejus est, qui superstes est.

9. PAULUS, [lib. 1, ad Sabinum.]

Si quis posthumos, quos per aetatem aut valetudinem habere forte non potest, heredes instituit: superius testamentum rumpitur: quod natura magis in homine generandi et consuetudo spectanda est, quam temporale vitium, aut valetudo, propter quam abducatur homo a generandi facultate. — § 1. Sed si ex ea, quae alii nupta sit, posthumum quis heredem instituerit: ipso jure non valet, quod turpis<sup>17</sup> sit institutio. — § 2. Si filium exheredavero, nepotemque ex eo praeteriero, et alium heredem instituero, et supervixerit<sup>18</sup> filius post mortem meam, licet ante aditam hereditatem decesserit: non tamen nepotem rupturum testamentum, Julianus, et Pomponius, et Marcellus aiunt. Diversumque est, si in hostium potestate filius sit, et decesserit in eodem statu: rumpit enim his casibus nepos testamentum: quod moriente avo filii jus pependerit, non abscissum [ut superiore casu fuerit]. Sed et si heres institutus omiserit hereditatem, erit legitimus heres: quoniam haec verba, si intestato moritur, ad id tempus referuntur, quod testamentum destituitur<sup>19</sup>, non quod moritur. — § 3. Sed si ex ea, quam nefas sit ducere, posthumum heredem instituero, non putat rumpi testamentum Pomponius. — § 4. Sed, si per adoptionem sororem factam habeam, potero posthumum ex ea heredem instituere: quia, adoptione soluta<sup>20</sup>, possum eam ducere uxorem.

10. POMPONIVS, [lib. 1, ad Sabinum.]

Commodissime is, qui nondum natus [est], ita heres instituitur, sive vivo me, sive mortuo, natus fuerit, heres esto: aut etiam pure, nepotris temporis habita mentione: si alteruter casus omissus fuerit, eo casu, qui omissus sit, natus rumpit testamentum: quia [hic filius] nec sub conditione quidem scriptus heres intelligitur, qui in hunc casum nascitur, qui non est testamento apprehensus.

11. PAULUS, lib. 2, ad Sabinum.

In suis heredibus evidentius apparet, continuationem domini eo rem perducere, ut nulla videatur hereditas fuisse, quasi<sup>21</sup> olim hi domini essent, qui etiam vivo patre quodammodo domini existimantur: unde etiam filiusfamilias appellatur, sicut paterfamilias: sola nota hac adjecta, per quam distinguitur genitor ab eo, qui genitus sit: itaque post mortem patris non hereditatem percipere videntur: sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur: hac ex causa, licet non sint heredes instituti, domini sunt: nec obstat, quod licet eos exheredare, quod et occidere<sup>22</sup> licebat.

12. ULPIANUS, lib. 9, ad Sabinum.

Quod dicitur filium natum rumpere testamentum, natum accipie, et si exsecto<sup>23</sup> ventre editus sit: nam et hic rumpit testamentum, scilicet si nascatur in potestate. — § 1. Quid tamen, si non integrum<sup>24</sup> animal editum sit, cum spiritu tamen: an adhuc testamentum rumpat? et hoc tamen rumpit.

13. JULIANUS, lib. 29 Digestorum.

Si ita scriptum sit, si filius mihi natus fuerit, ex besse heres esto [ex reliqua parte uxor mea heres esto]; si vero filia mihi nata fuerit, ex triente heres esto, ex reliqua parte uxor heres esto; et filius, et filia nati essent: dicendum est, assem distribuendum esse in septem partes, ut ex his filius quatuor, uxor duas, filia unam partem habeat: ita enim secundum voluntatem testantis, filius altero tanto amplius habebit,

de manumis. vind. — 13, § 9, Inst. de adoption. — 14. L. pen. infr. h. t. — 15. L. 16, in fin. infr. de vulg. et pupill. instit. — Inst. de exhered. liber. in pr. — 16. L. 5, § ult. supr. h. t. — 17. Fac. L. 3, in fin. supr. de his, qui notantur infamia, N. 22, c. 16. — 18. L. 34, C. de ir. offic. testamento. — 19. L. ult. in fin. infr. de condit. instit. — 20. L. 17, supr. de ritu nupt.; L. 38, § 1, infr. de verb. oblig. — 21. § 2, Inst. de hered. qual. et diff. — 22. L. ult. C. de patr. potes. — 23. L. 6, in fin. pr. supr. de inoffic. testam.; L. 141, infr. de verb. sign. — 24. Obs. L. 5, in fin. C. de postum. hered. instit.